

**www.e-rara.ch**

**Phytognomonica Io. Baptistae Portae ... octo libris contenta**

**Della Porta, Giambattista**

**Francofurti [Frankfurt am Main], 1591**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-42176>

Illustr. Marino Bobali, Andreae filio raguseo, Ioan. Baptista Porta Napolit. S. P. D.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



ILLVSTR. MA-  
RINO BOBALI, AN-  
DREÆ FILIO RA-  
GVSEO,

IOAN. BAPTISTA PORTA  
Neapolit. S. P. D.



*ET V*s fuit populorum  
Septentrionalium mos,  
Eques Illustr. nobiles iam  
filias e patriis laribus foras  
expellere sine duce, ut di-  
uersis in regionibus vaga, erroneſq; corpus  
inuulgando dotes, & virum ex voto sibi  
compararent. Idem de mea hac ſœtura in  
animum induxeram, & harum gentium  
ſequi morem: eamq; cum idoneam etatem  
indeptam cognouiſſem, peregrinam emit-

tere: suos mores ita componeret, & talem se cunctis præferret, ut virum, & patronum suis qualitatibus congruum inuestigaret. Noua enim forma in lucem prodiens, per nouas vias incedens, nouaque, necdum visa per multa sæcula ferens, verebar ne tanta nouitate multorum odium sibi conciliaret: pollicebarque mihi non defuturos, qui clam, vulgoque ipsam sugillationis contagio polluerent, conculcarentq<sup>3</sup>. De iis loquor, qui tanta ingenii secordia laborantes, tam aliorum iudiciis addicti sunt, ut prorsus omni proprio spolientur; & cum aliquid scire assequi nequeant, aliena contemnendo se aliquid prestare videri volunt. Nil veritus sum, quin apud doctos gratiam sit consequutura; qui quotidianarum formarum pertesi, nouas (quãtuncunque fuerint) omnium calculo, & plausu excipiunt. Unde ut infestos istos anteuertirem, summa votorũ mihi erat, nobilem quendam, generosum, clarum, iudicio & ingenii dotibus præpollentem vi-

EPIST. DEDICATORIA.

rum inuenire, cuius patrocínio a deplorato illo hominũ genere tuta redderetur. At vix tenere etatis limina transgressa, vix suo postliminio egressa, nec cuiquam sui videndi copia facta, eius famã ad tuas aures delatã; prius a te amari, quã videri, & prius exoptari, quam cognosci merebatur. Licet mihi, quæ diligentissimi patres in collocandis filiabus exquirunt, de te modo rimari. Dum igitur tuæ vitæ rationem sciscitor, ingenti fama commotus, maximo perfundor gaudio, quod patronum maiorem, quam pro eius dignitate, meritoq; sit assequuta. Nam si nobilitatem attentius expendo, nullam maiori singularitate admiror; antiquam enim famã per tuos atavos, quasi per manus traditam ad hæc vsq; tempora propagatam recolo; & dum peruetusta literarum monumẽta Ragusie, antiqui Epidauri, summo studio perquiro, maiores tuos e Romanis Fabiis originem traxisse comperio: nam ad vniuersi orbis cõquisitionem, vt per diuersas mundi par-

*tesbelligerando magistratus gerebant, & colonias ducebant, diuersa eorum familia variis in locis distrahebantur, ut incolæ fierent. Superfunt adhuc nominis reliquie: nam bob gentilitio nomine faba dicitur, bobali, de Fabis: & Plinius Fabios a fabis dictos testatur. Ecquis nescit familie tue per longam annorū seriē ad hæc vsque tempora clarissima insignia? Ipsa enim summum magistratum in Republ. summa cum laude & gloria quam sepiissime administravit, quo factum est, ut patriæ parentes gentiles tui iure optimo vno ore, & cōsensu a ciuibus appellarentur. Si nominis claritatem intueor, longius, latiusque diffunditur, quam ut a tua vrbe, & Macedonia illi finitima, Alexandri rebus præclare gestis illustrata: quin etiam Roma terrarum orbis domina comprehendatur. Fortune autem bonis cum paucis sis secundus: iis prudēter dispensandis, erogandisque es omnium facile princeps. Et si tuam intueor effigiem, non umbratilem imaginem,*

## EPIST. DEDICATORIA.

nem, sed perfectam Herois expressam formam exhibes; manibus, Fabiorum hereditarium robur; oculis, genii, & ingenii dexteritatem; fronte, Magni Alexandri personam sustinere praefers; cui, ut sinibus, ita munificentia es proximus. Ad extremum, nihil in te conspicio, quod regii animi magnitudinem, singularesque mores, inculpatam vitam, ad omnia feliciter excogitanda, atque adeo tractanda admirabilem solertiam non euidenter innuat. Is es, qui plus in recessu, quam in fronte promittas. Sed redeat, unde discessit oratio. Hanc meam natam praecipitem, tectis extrudo. Singulare hoc speciminis & decoris habet, quod nullo exquisito, & affectato ornamento decoratur; imo natiuo colore, non mercato; naturali forma contenta, lenociniis neglectis, multum sibi placens ad te aduolat. Lingua non Romana aut Attica matrona est, sed simplicis puella. Illud spondeo, quae pannis teguntur, multo fore pulchriora, iucundioraque, quam quae foris conspi-

ciuntur: quocirca, qui altius, peritiusque  
 eam cōtemplatus fuerit, is vberiore fru-  
 ctum, & plenius obsequium consequetur:  
 quippe quæ ad recessus longe recōditos præ-  
 stat aditum. Faciem contemplantes ita  
 fallit, ut se falsos nesciant. Si crinium ali-  
 quis annulorum peccauerit, & incomposi-  
 tam reddit comam; vel sordidata vestis,  
 aut male præcincta, quæ ancille diligentia  
 & animaduersione effugerint (nam oculi  
 tam lyncei esse non possunt) pronus ad ve-  
 niam sis; verita enim, ne tanti viri amor  
 deferueret, ad te festinantius properauit.  
 Vnde si non tuam amasti iam tuam dili-  
 gas velim; & eam tuendam, diligendam-  
 que suscipias; & per te contra hos fatua  
 imperitia laborantes tutum patrocinium  
 suscipiat. Quam si tibi acceptam sense-  
 ro, ceteros qui non admirentur, nihili fa-  
 cio; & soror ad Iunium fratrem tuum ci-  
 tius properabit. Vale, & me, ut so-  
 les, ama.